DE

BATRACHOMYOMACHIAE HOMERICAE GENUINA FORMA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA
HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXVIII. MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

1866

AUCTOR
AUGUSTUS ALTHAUS,
LIPPIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. BARTSCH, PHIL. STUD.
E. MEYER, PHIL. STUD.
H. FRANKE, PHIL. STUD.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Batrachomyomachia Homerica, quamquam eximiis virtutibus praedita non est, eam tamen ob rem quia omnium carminum quibus fictae bestiarum res gestae narrantur antiquissimum est, haud indigna videtur quae et legatur et accuratius cognoscatur. Ea autem nunc est huius carminis conditio, ut non modo aliquantum voluptatis e lectione capi nequeat, sed quae propria carminis natura sit nec facile intelligatur nec inter viros doctos constet.

Ex eo tempore quo studium scriptorum Graecorum apud nostrates efflorescere coepit usque ad finem saeculi XVIII. Batrachomyomachia vulgo in summo honore fuit. Ita, ut praestantissimorum virorum iudicia afferam, Philippus Melanchthon haec scripsit: „Quod quidam non indocti dubitant, isne Homerus qui Iliadem et Odysseam reliquit hoc mellitissimum carmen scripserit, non est quod labores. Constat enim ex ipso opere

quendam eximium et multo maximi ingenii hominem fuisse, a quocunque profectum sit hoc poemation. Quod si nihil aliud, genus tamen carminis Homerum auctorem testatur." Similiter Leonhardus Lycius, qui poema edidit anno MDLXVI., de eo iudicat: „De suavissimi poematis huius auctore etsi sunt qui dubitant: ego tamen ut ab Homero profectum esse statuam, non tantum Herodoti facit auctoritas —, sed etiam expositionis forma et character ille qui dicitur, quem aliorum Homericorum operum filo admodum esse similem nemo nisi ab horum lectione alienus potest infitiari." Quae iudicia refellere in animo non est, quia praecipue nituntur falsa quadam opinione olim vulgata, qua homines impediebantur quominus vera cognoscerent. Putabant enim Melanchthonis aetate, id potissimum poetis spectandum esse, ut utiles quasdam res docerent, itaque cum ad ea praecipue animos intenderent quae sub poetarum verbis laterent, ea quae ante oculos posita sunt neglegebant. Postea in laudando nonnulli etiam longius processerunt. Barnesius loquitur de Homeri magnifico spiritu, praeclaro ingenio et acumine, quod ne in re levissima quidem occultari ullo modo possit. Jac. Gaddius: „Παράδοξον, ait, dicere volo: Batrachomyomachia videtur mihi nobilior propiorque perfectioni quam Odyssea et Ilias, immo utramque superat iudicio ac ingenio et praestantia texturae, cum sit poema ludicrum excellens."

Nihilo minus iam pridem in diversam partem

nonnulli iudicarunt. Eodem anno quo Lycii editio prodiit, Henricus Stephanus ita censuit: „Si et eam (Batrachomyomachiam) ego suspectam non haberem, Iliadem et Odysseam, si quid iudicio valeo, suspectam habere deberem — cui tamen poematio, qualecunque et cuiuscunque est, suam non deesse gratiam fateor.“ Casaubonus nec Homeri hoc carmen esse ait nec ullius optimi poetae, nedum Homeri. Heinsius iudicat: „Hoc poema qui ad Homerum referunt, magis animi iudicio quam oculis vacillant.“

Recentiore aetate, qua viri docti argumentationibus via et ratione institutis de veterum scriptis iudicare coeperunt, certis argumentis demonstratum est Homero Batrachomyomachiam abiudicandam esse[1]). Inde carmen in dies magis in contemptum venit, ut hodie nemo fere sit cui non a poeta satis mediocris ingenii profectum esse videatur.

Iam vero alia quaestio exstitit, quae neque adhuc absoluta est neque unquam fortasse plane absolvetur. Postquam enim plures codices inter se comparati sunt, cognitum est carminis textum quem dicunt valde dubium esse, cum omnes libri non modo variis corruptelis sed etiam interpolatorum commentis referti sint. Quam ob rem Godofr. Hermannus ita iudicat: „Eius carminis varias lectiones qui consideraverit, sponte intelliget non

1) A. de Schlieben: de Batrachomyomachia Homero abiudicanda. Lips. 1816.

versus quosdam tamquam spurios expelli debere, sed plures constituendas esse Batrachomyomachias, quarum multa communia, alia diversa sint.“ Alio loco idem aliter censet: „Vel leviter hoc carmen consideranti planum esse debet tot id tantisque interpolationibus esse corruptum, ut penitus immutatum censeri oporteat.“ Deinde carmen appellat farraginem versuum diversissimis aetatibus factorum.

His imprimis summi viri verbis commotus est Baumeisterus, ut maiorem operam in Batrachomyomachiam impenderet. Is primus arte critica qualis nostram aetatem decet carmen percensuit.[2]) Codicibus undeviginti collatis quae fuerit archetypi lectio aperuit, eius lectionis vitia notavit, interpolationes et emendationes removit, suas coniecturas perpaucas admisit.

Quamquam autem concedo textum carminis, quatenus e libris collatis constitui potest, in universum recte a Baumeistero constitutum esse, iudicium quod vir doctus de carminis genuina forma facit non probo.

Baumeisterus in hoc carmine etiam „quae dura, inculta, horrida sunt adeoque carent venustate ut etiam infra pedestris orationis elegantiam descendere

---

2) Batrachomyomachia Homero vulgo attributa. Textum ad fidem codicum recensuit, varietatem lectionis adiecit, prolegomena critica scripsit Augustus Baumeister. Gottingae 1852.

videantur“ mutanda esse negat, quia talia in omnibus fere carminis partibus occurrant. Ea partim explicanda esse censet e consilio carminis, quod hoc sit ut mali poetae carpantur, partim e poetae indole excusanda. Putat enim carmen satis probabiliter Pigreti vindicandum esse monetque eum fuisse oriundum Halicarnasso, Cariae urbe, atque ex ipsa gente regum barbarorum. „Inde, ait, fortasse sermo non satis excultus, egestas linguae, elegantiae defectus, ea denique ruditas, quam civi Atheniensi nollem tribuisset Grotefendius.“

Cui sententiae haec obicienda sunt:

1) Non in omnibus carminis partibus talia occurrunt quae vix ac ne vix quidem excusari possunt, sed nonnullae partes nihil continent quod vituperandum sit.

2) Codices multis interpolationibus et iisdem omnes corrupti sunt, quam ob rem ne ea quidem quae in omnibus libris leguntur satis firmata sunt ut ea ad poetam referri necesse sit.

3) Sententia de consilio carminis prolata nulla re nititur, nisi illis ipsis locis qui, nisi haec sententia probatur, pro spuriis habendi sunt. Ut igitur eam sententiam valde dubiam esse negari nequit, ita prorsus eam esse reiciendam carmine accurate excusso apparebit.

4) Ex eo quod Pigres Halicarnassius carminis auctor sit ea quae vitiosa atque omni elegentia destituta sunt excusari nequeunt, quia, ut Baumeisterus ipse monet, Halicarnassi aetate Pigretis floruit

Panyasis, mox exstitit Herodotus, ipsi reges litteris artibusque colendis faverunt, ipsum denique Pigretem traditum est summum studium in poesi epica collocasse.[3])

5) Ex ipso carmine apparet poetam, quisquis est, carmina Homerica tam diligenter legisse ut in conscribendo hoc poematio sine ullo labore, ubicunque aptum erat, formulae Homericae ei in mentem venirent. Immo cum sibi proposuisset ut Homerum imitaretur, praestantissima poesis exempla ei perpetuo ante oculos versabantur, quam ob rem vix potuit fieri ut aliquid ei excideret quod ab arte poetica prorsus alienum esset.

His de causis id quod Baumeisterus de genuina carminis forma censet mihi non probatur. Priusquam autem ad ipsum carmen pertractandum progrediar, breviter dicendum est de opinione quam Henr. Stephanus protulit. Vir summus cum intelligeret hoc carmen Homero indignum esse, traditionem qua id Homero vindicatur reicere non ausus aliam suspicatus est olim fuisse Batrachomyomachiam eamque esse illam Homericam de qua veteres scripserunt. Non satis probabilis est ea opinio. Primum enim de duobus carminibus eiusdem generis et nominis nihil traditum est, deinde recentius carmen factum esse non potest nisi ad exemplar veteris h. e. priusquam vetus interciderat. Qui autem

---

3) Suias s. v. *Πίγρης: ὃς τῇ Ἰλιάδι παρενέβαλε κατὰ στίχον ἐλεγεῖον, οὕτω γράψας·*

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος·
Μοῦσα, σὺ γὰρ πάσης πείρατ᾽ ἔχεις σοφίης.

factum est ut vetus et nobile carmen interiret, recentius et deterius servaretur? Reicienda autem est Stephani opinio, quia re vera traditum est hoc carmen quod nos tractamus ab Homero scriptum esse. Exstat enim inscriptio in codice eo ex quo editio Veneta anni 1486 expressa est: Ὁμήρου Βατραχομυομαχία, ἐν δέ τισι Τίγρητος τοῦ Καρός. Hanc inscriptionem non a docto quodam homine additam, sed e vetustiore codice petitam esse apparet e forma Τίγρητος, quae per errorem librarii orta est; aetate Tzetzis inscriptionem eandem in libris fuisse ex eo intelligitur quod Tzetzes eodem modo scripsit: ἣν τινες Τίγρητος εἶναί φασι τοῦ Καρός. Pigres autem Byzantinis ignotus fuit, nam ni ita esset, Tzetzes non secutus esset corruptam codicis inscriptionem. Unde sequitur eam inscriptionem e vetustissimis nostri carminis codicibus in recentiores transiisse.

Eo igitur redeundum est, fieri non posse ut hoc carmen tale quale nunc est olim fuisse ullo argumento probetur. Quae res ita tantum explicari potest, si statuimus carmen aetate Byzantina non mediocriter immutatum esse. Tentandum igitur est, num quid e codicibus elici possit quod cum honore illo huic carmini olim tributo congruat. Quod ubi factum erit, apparebit rectene dictum sit Batrachomyomachiam nihil esse nisi farraginem versuum diversissimis aetatibus factorum.

E codicibus autem aliquanto plus fructus capi potest quam Baumeistero visum est. Is enim nimiam fidem tribuit codicibus duobus, qui eam

tantum ob rem optimi habendi sunt, quia aliis minus emendati, aliis accuratius exarati sunt, itaqne deteriores non satis accurate excussisse videtur.

Baumeisterus in eorum librorum numerum qui ab indoctissimis simul et neglegentissimis hominibus scripti creberrimisque vitiis referti essent rettulit Parisinum quem signavit littera t. Qui quam non accurate exaratus sit, ex eo ait intellegi quod octo versus per neglegentiam omiserit. Quae res cum mihi haud levis momenti esse videatur, accuratius perspicienda est. Primo ut intelligatur quem in modum hic liber scriptus sit, nonnulla eius vitia proponam: v. 128[4]) *γελίνην* pro *γαλέην*; v. 194 *τρωθῆναι* pro *τρωθῇ*; v. 208 *νέκυν* pro *νύ κεν*, *μέγας ὡς θεός* pro *μέγα οἱ σθένος*; v. 244 *πάντα δ' οἱ εἴσω* pro *πᾶς δέ οἱ εἴσω*; v. 254 *ἔρυξε* pro *ἔρρηξε*; v. 255 *οὐδ' ἔβαλε* pro *τοῦ δ' ἔβαλε*; v. 262 *πᾶς δ' ἐκέλευσεν* pro *παῖδ' ἐκέλευσεν*. Quomodo haec vitia orta sint facillime perspicitur. Liber e quo codex t exscriptus est aut parum plane scriptus aut corruptus fuit. Librarius autem, homo illiteratus, operam dedit ut graeca certe vocabula scriberet quam simillima iis quae ante oculos habuit. Si praeterea reputaveris quod singula vocabula nulla omisit, cognosces diligentissimum eum fuisse qui codicem t. scripsit.

Iam vero in hoc codice duodecim locis aut toti

---

4) In versuum numeris servatus est ordo editionis Baumeisteri.

versus aut binorum versuum dimidiae partes absunt, quae in reliquis fere omnibus leguntur:

a) Undecim versus 42—52, qui in duobus praeterea libris absunt.

b) v. 122. Ταῦτ' εἰπὼν ἀνέπεισε καθοπλίζεσθαι ἅπαντας
[καὶ τοὺς μέν ῥ' ἐκόρυσσεν Ἄρης πολέμοιο μεμηλώς][5])
κνημῖδας μὲν πρῶτον ἐφήρμοσαν —

v. 123 in decem aliis omittitur.

c) v. 99. — τὸν δὲ κατεῖδεν
Λειχοπίναξ, ὄχθῃσιν ἐφεζόμενος μαλακῇσιν·
[καί ῥα κραιπνότατος μοίρας μυσὶν ἄγγελος ἦλθε]
δεινὸν δ' ἐξολόλυξε, δραμὼν δ' ἤγγειλε μύεσσιν·

Versus inclusus in omnibus fere libris legitur.

d) v. 25. Τίπτε γένος τοὐμὸν ζητεῖς; δῆλον δ' ἐν ἅπασιν,
[ἀνθρώποις τε θεοῖς τε καὶ οὐρανίοις πετεηνοῖς]

v. 26 etiam in codd. z. L.[6]) abest.

e) v. 120. ἀλλ' ἄγεθ' ὁπλισόμεσθα καὶ ἐξέλθωμεν ἐπ' αὐτούς,
[σώματα κοσμήσαντες ἐν ἔντεσι δαιδαλέοισιν]

Hoc versu sex praeterea libri carent.

5) Verba inclusa in t absunt.

6) Laurentianus a Wachsmuthio collatus. Mus. Rhen. 1865, p. 176 seqq.

f) v. 258. ὥρμησεν δ' ἄῤ ἐπ' αὐτόν· ὃ δ' ὡς ἴδεν οὐχ ὑπέμεινεν
[ἥρωας κρατερούς· κατέδυ δ' ἐν βένθεσι λίμνης·]

Hic versus etiam in m. abest.

g) v. 68. — ἀλλ' ὅτε δή ῥα
κύμασι πορφυρέοισιν ἐκλύζετο, [πολλὰ δακρύων
ἄχρηστον μετάνοιαν ἐμέμφετο,] τίλλε δὲ χαίτας

h) v. 115. τὸν δ' ἄλλον πάλιν ἄνδρες ἀπηνέες ἐς μόρον [εἷλξαν,
καινοτέραις τέχναις ξύλινον δόλον] ἐξευρόντες

i) v. 292. εἰ μὴ ἀπ' Οὐλύμπου [βατράχους ᾤκτειρε Κρονίων,
ὅς ῥα τότ' ἐν] βατράχοισιν ἀρωγοὺς εὐθὺς ἔπεμψεν·

k) v. 206. Τρωγλοδύτης δὲ μετ' αὐτὸν ἀκόντισε Πηλείωνα,
[πῆξεν δ' ἐν στέρνῳ στιβαρὸν δόρυ·τὸν δὲ πεσόντα]
εἷλε μέλας θάνατος —

l) v. 234. Ψιχάρπαξ δ' ἤμυν' ἑτάρων περὶ τεθνειώτων
καὶ βάλε Πρασσαῖον μήπω γαίης ἐπιβάντα·]
πῖπτε δέ οἱ πρόσθεν —

m) v. 285—289 in reliquis codicibus ita leguntur:

1. Ὣς ἄρ᾽ ἔφη· Κρονίδης δ᾽ ἔβαλε ψολόεντα κεραυνόν.
2. πρῶτα μὲν ἐβρόντησε, μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν Ὄλυμπον,
x. αὐτὰρ ἔπειτα κεραυνὸν, δειμαλέον Διὸς ὅπλον,
3. ἧκ᾽ ἐπιδινήσας· ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἔπτατο χειρὸς ἄνακτος.
4. πάντας μέν ῥ᾽ ἐφόβησε —

Eorum loco cod. t. haec praebet:

1. Ὣς ἄρ᾽ ἔφη· Κρονίδης δ᾽ ἔβαλε ψολόεντι κεραυνῷ
2. ἧκ᾽ ἐπιδινήσας ἐβρόντησε μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν Ὄλυμπον
3. ἧκ᾽ ἐπιδινήσας· ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἔπτατο χειρὸς ἄνακτος.
4. πάντας μέν ῥ᾽ ἐφόβησε —

De undecim versibus quos primo loco posui vario modo editores iudicarunt: Ernestius et Frankius nonnulla transponenda esse censuerunt; Wolfius lacunas statuit; Ilgenius concessit nonnulla obscuriora esse neque satis apte expressa, operam autem dedit ut probaret bonum esse sententiarum nexum, qua opera invitus docuit bonum nexum ab his versibus abesse. Recte igitur Baumeisterus, sicut olim Clarkius, totum hunc locum eiciendum esse iudicat, ut a muris oratione, quae tota in laude ciborum versetur, alienum. Quod iudicium cum nemo probare non possit, nisi qui quaecunque in libris leguntur servanda esse putat, non opus est de ineptis huius loci sententiis longius exponere. De verbis autem aliquid monendum videtur. In nulla alia poematis parte ii quidem codices qui emendatorum manu minus tacti sunt tam multa habent quae metro repugnent: v. 42 ἀπέφυγον, v. 44 ἄνθρωπον οὐ δέδια, v. 45 ἄκρον δάκτυλον κατα-

δάκνω sive δάκνω, v 46 ἵκανεν ἄνδρα, v. 47 ἀπέφυγεν, v. 48 ἀλλὰ δύω μάλα πάντων δείδια πᾶσαν ἐπ' αἶαν — versus eo poeta dignus qui fecit v. 287 —, v. 50 πέλει, v. 52 τρωγλοδύνοντα. Praeterea offensioni sunt haec: v. 42 structura ἐκ πολέμοιο ἀπέφυγον αυτήν (quamquam satis probabiliter cum compluribus libris legendum est οὐδέποτε πτολέμοιο), v 43 εὐθύς, v. 46 syllaba καί producta. Verborum tempora miro modo confusa sunt: δάκνω, λαβόμην, ἵκανεν, ἀπέφυγεν.

Itaque dubitari nequit quin in antiquo libro, unde cod. t. derivatus est, hi versus afuerint; additi autem videntur a versificatore quodam Byzantino, inepto homine eodemque nec rei metricae syllabarumque mensurae neque grammaticae satis gnaro. Vides igitur, quales homines hoc carmen commentis suis exornarint.

Versus quoque *b)* et *c)*, quorum alter ad simplicem narrationem exornandam additus est, alter periphrasin versus insequentis continet, expungendos esse iam ab editoribus monitum est.

Contra ii qui iam sequuntur in editionibus servati sunt. Versus *d*) nihil continet nisi inanem verborum strepitum non minus ineptum quam qui loco *b*) a versificatore quodam additus est. Quid enim hoc est quod mus iam omnes enumeraturus quibus origo sua nota sit, hominibus et diis non bestias sed unum bestiarum genus adiungit, et id quidem quod et natura et vivendi ratione a muribus plurimum discrepat? Forsitan quis hoc ita defendat, ut murem consulto animalia longissime remota nominare

dicat, ne rana de propinquioribus bestiolis ullo modo dubitare possit. Quid autem muribus, praesertim iis qui non in agris sed in cellis et horreis vivunt, cum volucribus est? Qui istud fingere potest Psicharpax, cum ne vicinae quidem paludis incolae notus sit? — Eiecto hoc versu muris verba aptissima sunt. Psicharpax e filiis Troxartae minimus natu fratribusque misere mortuis unus superstes, haud dubie a parentibus sollicitis quam plurimum domi retentus, adolescens est rerum imperitus. In civitate murium nobilissimus est, nam summo genere est natus, *καλός τε καὶ ἄλκιμος ἔξοχος ἄλλων*. Neminem igitur adhuc vidit qui se originemque suam ignoraret itaque putat se omnibus notum esse, sive potius nunquam de hac re cogitavit. Iam primum interrogatus, quis sit, mirabundus exclamat: Quid tu hoc rogas, quod omnes sciunt?

Adde quod hic locus ad exemplum colloquii inter Glaucum et Diomedem habiti effictus est, Il. Z 119 seqq., ubi Glaucus rogatus: *τίς δὲ σύ ἐσσι;* respondet: *τίη γενεὴν ἐρεείνεις;* — *πολλοὶ δέ μιν ἄνδρες ἴσασιν*. Verbis *πολλοὶ ἄνδρες* respondet vox *ἅπασιν*. Versus igitur *d*) non minus damnandus est quam ii quos signavi *a*) *b*) *c*). Per neglegentiam eius qui librum t. scripsit hos versus omissos non esse apparet, afuerunt igitur in vetere libro. Quoniam autem quatuor locis omnes fere libri spurios versus habent, quos cod. t. non habet: haud temere conicias reliquos quoque versus quibus cod. t. caret

in vetere libro afuisse, in reliquis libris additos esse.

Versus *e*) aliquantum difficultatis affert. Cum nihil contineat nisi quod uno verbo ὁπλισόμεσϑα iam dictum est efficit ut orationis vis infringatur, quod eo molestius est quia muris oratio gravitate sententiarum, brevitate verborum excellit. Eiecto autem versu oratio abrupta videtur. Scrupulus facillime removebitur, simulac reliquorum locorum conditio perspecta erit. Ad quos iam transimus.

Eos autem primo oculorum obtutu intelliges ab iis quos tractavi plurimum differre, cum versus eici nequeant quin sententiarum nexus interrumpatur. Atque in iis quos signavi *g*) *h*) *i*) perspicuum est librarii oculos altero versu nondum finito in alterum aberrasse. Contra si accuratius inspicias, nulla fere totius carminis verba maiorem suspicionem movent quam quae locis *f*) *g*) *h*) *i*) *l*) *m*) uncis inclusa sunt.

f) Narratio ita cohaeret. Prassaeus (rana) in murem quendam telo coniecto scutum eius non percutit. Deinde eundem alia rana, cui Origanio nomen est, aggreditur. Quod simulac videt mus, duos hostes excipere non ausus in aquam insilit — scilicet ut ibi moriatur, mures enim natare nequeunt. Verba ἔδυ δ' ἐν βένϑεσι λίμνης in hoc carmine dici non possunt nisi de rana, sicut v. 267 ranae fugientes ἔβαν πάντες κατὰ λίμνην, v. 86 Physignathus δῦ δὲ βάϑος λίμνης. Apparet igitur aut locum mutilatum esse aut eum qui v. 259 scripsit nomina

murium et ranarum confudisse. Accedit quod verba quae in codicibus leguntur versum non explent: *ἥρωα κρατερόφρον'* Baumeisteri coniectura est, et falsa coniectura, fugit enim ille mus (sive, ut interpolator putavit, rana) quia a duobus simul hostibus petitur, quam ob rem codicum lectio *ἥρωας κρατερούς* non est mutanda. Deinde meliores codices habent *ἀλλ' ἔδυνε*, quod in reliquis mutatum est in *κατέδυ δ' ἐν*. Hunc igitur versum homo addidit, qui neque artem metricam callebat neque ranarum et murium nomina discernere potuit, addidit fortasse, quia in codice quem exscripsit aliquid deesse sensit.

g) Verba *ἄχρηστον μετάνοιαν ἐμέμφετο* vario modo ab interpretibus explicata sunt. Ernestius ita scripsit: „Non est malus sensus: accusabat seram suam et propterea inutilem poenitentiam; sed vide an melius sit intelligere *κατ' ἄχρηστον μετάνοιαν*, ut *μέμφεσθαι* sit sine regimine queri." Quae Ilgenius refutavit et hanc interpretationem proposuit: „*ἐμέμφετο* non est accusabat, sed reprehendebat, vituperabat, ita ut sensus huc redeat: multis lacrimis reprehendebat inutilem poenitentiam, h. e. lacrimae crebrae testes erant serae et inutilis poenitentiae." Frankius vertit: „inutili poenitentia se ipsum reprehendebat." Quas interpretationes propono, ut appareat illa verba ita se habere ut nullam quae quidem probari possit explicationem admittant.

h) Verbum *εἷλξαν* coniectura natum est, cum in nullo libro legatur nisi in iis duobus qui ea ipsa re a reliquis maxime differunt quod a docto quo-

dam homine multis locis expoliti sunt. Reliqui habent ἧξαν, ἔκταν, ἔκτανον. Qua ex re apparet hunc versum in fine olim mutilatum, postea a librariis vario modo expletum esse cum autem in cod. t simul cum hoc verbo insequentis versus maior pars omittatur, probabile videtur haec omnia in archetypo scripta non fuisse.

i) Baumeisterus lectionem ὅς ῥα τότ' ἐν βατράχοισιν exemplis quibusdam a vituperatione defendere conatur, quae exempla prorsus inutilia sunt. Praepositione ἐν Graeci apud verba quae notum significant tunc tantum utuntur, cum diserte eum locum indicare volunt qui illius motus finis est. Nostro autem loco adiutores non in ranas mittuntur, sed ranis auxilio mittuntur. Haud dubie τότ' ἐν metri causa pro τότε a grammatico quodam scriptum est. Infra autem ad hunc locum revertar.

Iam redeo ad difficultatem supra (pag. 14) indicatam, quae in eo constat quod luce clarius videtur haec verba in codice t. per neglegentiam omissa esse. Loco *g*) cum librarius scripsisset vocem ἐκλύζετο, eius oculi a fine huius vocis aberrarunt ad finem vocis ἐμέμφετο, itaque deinde ea scripsit quae hoc vocabulum excipiunt; per eundem errorem peccavit loco *h*) in vocabulis μόρον et δόλον; loco *i*) ab initio vocis βατράχους ad initium vocis βατράχοισιν transiit. Unde sequitur ea verba quae in libris leguntur, quantumvis ea reprehendas, servanda esse. Res ita fortasse explicari potest: In archetypo nihil his locis defuit. Ex illo duo codices

exscripti sunt, quorum alter omnia servavit, alter per neglegentiam librarii lacunas accepit. Inde duo genera codicum exstiterunt. Alterius generis lacunae in aliis codicibus servatae sunt, quorum unus est codex t, in aliis expletae sunt virorum doctorum commentis. Quae commenta cum postea in alterius generis libris in margine adscriberentur, factum est ut nunc his locis genuina spuriis mixta legantur. Et loco *g* nihil fortasse genuinum est nisi ultimae syllabae vocis ἐμέμφετο, loco *h* omnia genuina praeter versus 115 clausulam, loco *i* fortasse in vetere illo libro scriptum fuit: βατράχους ᾤκτειρε Κρονίων, ὅς ῥα τότε — .

Iam quid de versu *e* statuendum sit facile perspicitur: e versu 153 σώματα κοσμήσαντες ἐν ὅπλοις κτλ. et e formula Homerica ἔντεσι δαιδαλέοισι conflatus est ad lacunam explendam. Versus genuinus periit.

k) Unum certe versum in codice t deesse apparet; cumque is qui in reliquis libris legitur nihil offensionis habeat genuinus habendus est.

l) Hic nihil habemus nisi indocti hominis supplementum, qui satis esse duxit duos versus explere, nihil curans utrum sensus inesset necne. Cum ipse muris nomen fingere non posset, temere Psicharpagem ascivit, nobilem illum heroem, cuius mors belli causa fuit; deinde cum videret in antecedente versu Prassaei mentionem fieri, hunc occidi fecit, quamquam idem infra v. 253 vivus introducitur. Sed concedamus pro Πρασσαῖον scribendum esse Πρασ-

σοφάγου, quod nomen v. 232 in compluribus libris legitur. Quomodo autem hoc defendi potest quod v. 235 rana priusquam in terram ascenderit muris telo percussa esse dicitur, cum v. 236 narretur: πῖπτε δέ οἱ πρόσθεν, h. e. cecidit ante eius pedes, quod, si in aqua mansit, non potuit? Haec de sententia. Non melius verba se habent. In optimis libris legitur: ἤμυνεν ἑταίρων τεθνειώτων, quod quia non abhorret a metro, errore natum esse non videtur; consilio autem in illis libris nihil fere mutatum est. Vox autem ἀμύνειν, ubi de mortuis dicitur, non cum genitivo sed cum praepositione περί ponitur; μήπω perperam dictum est pro οὔπω.

m) Quid verum sit nusquam firmissimis argumentis melius demonstrari potest quam hoc loco e vitiis codicis t perspicitur. Librarius versum 2. scripturus aberravit in v. 3., eius versus primis vocabulis ἦκ' ἐπιδινήσας scriptis, seu per errorem seu (quod propius vero est) quia se aliquid omisisse sensit, rursus ad verbum ἐβρόντησε in v. 2 transiit, deinde omnia quae sequuntur ordine perscripsit. Non hoc modo locum turbare potuisset librarius, si in eo libro quem exscripsit inter v. 2 et 3 alius versus (x) interfuisset. Lacuna igitur hoc loco iam in vetere illo libro fuit. Quod si perspexisset Baumeisterus, non puto mirum versum x exemplis Homericis defendere tentasset, sed confessus esset eum nihil esse nisi versificatoris alicuius supplementum. Vehementissime autem vituperandus est hic versus, quod caesura legitima caret, quod diaeresi tertia

divellitur (cuius diaeresis molesta vis caesura mascula quinti pedis non extenuatur), denique quod diaeresin spondeus praecedit, quo fit ut in fine versus iidem numeri repetantur. Comparantur versus Homerici E, 580.

Ἀντίλοχος δὲ Μύδωνα βάλ', ἡνίοχον θεράποντα,

λ, 260. Τὴν δὲ μετ' Ἀντιόπην ἴδον, Ἀσωποῖο θύγατρα, quibus addi potest γ, 34.

οἱ δ' ὡς οὖν ξείνους ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες.

In his autem versibus diaeresis dactylum sequitur, non spondeum, diaeresis vis minuitur caesura in tertium pedem cadente. Unus tantum versus apud Homerum exstat qui diaeresi tertia diremptus caesuram neque in tertio neque in quarto pede habet: O, 18.

ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν.

Eum autem Lachmannus simplicissime emendavit:

ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τε κρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν.

Alter eiusdem generis versus est Hes. Scut. Herc. v. 202.

ἱμερόεν κιθάριζεν Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός,

quem Spitznerus parva mutatione emendavit, Bernhardyus eiciendum esse censuit.[7]) Veteribus igitur temporibus huius generis versus omnino facti non sunt. Contra Byzantina aetate usitati fuisse videntur. Apud Tzetzem enim hi versus leguntur:

---

7) Spitzner de versu heroico I, § 2. Bernhardy Grundr. d. gr. Litt. § 96, 6.

Anteh. 14. φράζεο δ' Αἰακίδαο πότμον δακρυόεντα, ib. 171 δέδμηντο γὰρ ἅπαντες Τυνδαρέοιο ἐν ὅρκοις, et in nostro carmine spurii versus 48 et 227:

ἀλλὰ δύω μάλα πάντων δείδια πᾶσαν ἐπ' αἶαν,
Ὑδρόχαρις δέ τ' ἔπεφνεν Πτερνοφάγον βασιλῆα,

quibus addere potes illum Scut. Herc. 202.

Dubitari igitur nequit quin is versus de quo agimus ex officina versificatorum Byzantinorum prodierit. Nihil autem hoc loco ex iis quae poeta ipse scripsit servatum esse videtur, cum in verbis non minus quam in sententia offendas. Vox κεραυνόν in quinque versibus ter occurrit; δειμαλέον Διὸς ὅπλον male dictum est, quia, cum de ipso Jove haec omnia narrentur, haec verborum structura exsistit: Κρονίδης ἔβαλε Διὸς ὅπλον; vox δειμαλέος perrara est et in veteris quidem aetatis scriptis semel tantum occurrit, apud Theognidem 1182. Iam qui hoc fieri potest ut, cum dictum sit Κρονίδης δ' ἔβαλε ψολόεντα κεραυνόν, hoc ita quasi corrigatur: πρῶτα μὲν ἐβρόντησεν, αὐτὰρ ἔπειτα κεραυνὸν ἧκεν? Homo quidam haec invenisse videtur qui minuta subtilitate Homerum aut interpretari aut carpere voluit, quia apud Homerum βροντή praecedere videtur κεραυνόν:
Θ 133. βροντήσας δ' ἄρα δεινὸν ἀφῆκ' ἀργῆτα κεραυνόν,
μ. 415. Ζεὺς δ' ἄμυδις βρόντησε καὶ ἔμβαλε νηὶ κεραυνόν.

Multis igitur locis codex t carminis formam incorruptam servavit. Idem autem aliis quibusdam locis simul cum reliquis libris tales versus habet qui certissime poetae nostro abiudicandi sunt, ut qui post v. 198 additus est

καδ δ' ἦλθον κήρυκε τέρας πολέμοιο φέροντε,
quam ob rem nulli omnium codicum plena fides habenda est.

Iam de reliquis versibus dicturus qui suspicionis ansam habent initium faciam ab iis qui, sicut ii quos tractavi, in singulis libris non exstant.

In codice m absunt:

v. 60. στοιχείοις διττοῖς μεμερισμένα δώματα ναίειν,
v. 267. οἱ δὲ τάχος δείσαντες ἔβαν πάντες κατὰ λίμνην,
v. 255—259. τοῦ δ' ἔβαλε τρυφάλειαν ἀμύμονα καὶ τετράχυτρον
δῖος Ὀριγανίων, μιμούμενος αὐτὸν Ἄρηα,
ὃς μόνος ἐν βατράχοισιν ἀρίστευεν καθ' ὅμιλον·
ὥρμησεν δ' ἄρ' ἐπ' αὐτόν· ὁ δ' ὡς ἴδεν οὐχ ὑπέμεινεν
ἥρωας κρατερούς· κατέδυ δ' ἐν βένθεσι λίμνης,
v. 282. ᾧ ποτε καὶ Καπανῆα κατέκτανες ὄβριμον ἄνδρα

Versum 60 Baumeisterus recte videtur eiciendum censere ut e margine illatum. Cum enim verba ἀμφίβιον ἔδωκε νομήν (v. 59) versibus 60 et 61 duplici modo explicentur, v. 61 simpliciter et perspicue, v. 60 docte ac obscure, hunc versum a grammatico quodam additum esse satis probabile est.

v. 267 plane ineptus est. Si enim iam tunc omnes ranae in paludem fugissent, neque quidquam superesset quod Meridarpax perficere posset (v. 268 καί νύ κεν ἐξετέλεσσεν), neque Iovis misericordia opus fuisset, immo omnia quae sequuntur de carmine resecanda essent.

Versus 281 seqq. a Lycio et Baumeistero ita dispositi sunt:

— ἢ τὸ σὸν ὅπλον
281. κινείσθω μέγα Τιτανοκτόνον ὀβριμοεργόν,
ᾧ ποτε καὶ Καπανῆα κατέκτανες ὄβριμον ἄνδρα
καὶ μέγαν Ἐγκέλαδον καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων
284. κινείσθω· οὕτω γὰρ ἁλώσεται ὅστις ἄριστος.

Quod Baumeisterus v. 281 idcirco additum putat, ne verbum (κινείσθω v. 284) longius sit remotum, errare videtur. Non enim in iisdem codicibus uterque versus 281 et 284 exstat, sed eodem loco, ante v. 282, in melioribus codicibus legitur v. 284, in deterioribus v. 281. Unde ego colligo ab interpolatoribus adscripta esse verba μέγα Τιτανοκτόνον ὀβριμοεργόν, his in textum receptis in deterioribus codicibus expulsa esse verba οὕτω γὰρ ἁλώσεται ὅστις ἄριστος. Non igitur v. 281 servandus est, sed v. 284 in eum locum restituendus est quem in codicibus tenet. Hinc sequitur versus 282 (qui praeter m in duobus libris abest) et 283, quibus nemo non facile carebit, esse damnandos. Ita Batrachomyomachia liberatur uno versu (281) qui caesura caret et (v. 283) productione syllabae καί ante vocalem, quae, si omnino damnanda non est, certe raro occurrit.

Iam cum tribus locis spurii versus in codice m absint, conicias versus 255—259 olim tantummodo in margine scriptos fuisse. Est autem in versu 255 mirabile vocabulum τετράχυτρον; verba μιμούμενος

σῦτον Ἄρηα etiam alio loco in nonnullis codicibus exstant; versum 257 optimi libri non habent; v. 258 etiam in cod. z omittitur; versum 259 damnandum esse supra demonstravi. Ceterum in tota illa descriptione pugnae non modo quae in nonnullis libris absunt, sed omnia fere suspecta habenda sunt.

Praeterea in singulis libris absunt

v. 31. σύκοις καὶ καρύοις καὶ ἐδέσμασι παντοδαποῖσιν,

v. 222. χορδῆσιν λιπαρῇσι τε πορνύμενος λαγόνεσσιν,

quorum priorem damnandum duco, primum quod in margine codicis g scriptus est ab eadem manu signo quodam addito, quo fortasse significatur eum a margine adscitum esse, deinde quod dimidia parte exscriptus est ex alio versu (176) — quae res etiam in versum 120 cadit, quem infra tractabo — , tum quod simillimus est eorum qui exornandi carminis causa ab interpolatoribus additi sunt, denique quod rem continet non modo superfluam sed etiam molestam, cum murium cibaria paulo post satis copiose describantur.

v. 222. vario modo a viris doctis emendatus est, a nullo autem ita, ut quid velit facile perspiciatur. Interpolatores autem duriora fere et obscuriora fingere solitos esse compluribus exemplis docetur.

Iam ad duos versuum ordines transeo, quos e margine in textum transscriptos esse eam ob rem veri simile est, quia perverse in codicibus collocati sunt. Quos locos si accuratius consideraveris, apparebit alterum nihil esse nisi lectoris cuiusdam

lusum, alterum ad lacunam explendam adscriptum esse.

V. 74 — 81.

οὐρὴν μὲν προπέτασσεν ἐφ' ὕδατι ἠύτε κώπην
σύρων, εὐχόμενός τε θεοῖς ἐπὶ γαῖαν ἱκέσθαι
ὕδασι πορφυρέοισιν ἐκλύζετο, πολλὰ δ' ἐβῶσεν
καὶ τοῖον φάτο μῦθον ἀπὸ στόματός τ' ἀγόρευσεν·
Οὐχ οὕτω νώτοισιν ἐβάστασε φόρτον ἔρωτος
ταῦρος, ὅτ' Εὐρώπην διὰ κύματος ἦγ' ἐπὶ Κρήτην,
ὡς ἔμ' ἐπιπλώσας ἐπινώτιον ἦγεν ἐς οἶκον
βάτραχος ἀμπετάσας ὠχρὸν δέμας ὕδατι λευκῷ.

Hi versus in aliis libris ante v. 82 (Ὕδρος δ' ἐξαίφνης κτλ.) leguntur, in aliis post v. 90 (λακτίζων-ἀπαλύξαι). Neutro loco ferendi sunt. Si enim post v. 90 ponuntur, muris orationem Οὐχ οὕτω κτλ. duobus tantum versibus interiectis altera oratio sequitur, si ante v. 82 collocantur, inepti sunt. Accedit quod in his versibus expressa interpolationis vestigia exstant. Et tres quidem qui primum locum tenent eiciendos esse, iam Baumeisterus firmis argumentis probavit, quorum praecipua haec sunt: quod pessime cum antecedentibus et insequentibus cohaerent, quod secundus ad exemplar versus 72 κἀπὶ χθόνα βούλεθ' ἱκέσθαι fictus est, quod tertius inanem repetitionem praebet versus 69: κύμασι πορφυρέοισιν ἐκλύζετο, πολλὰ δακρύων.

Sublimis illa oratio muris summam difficultatem interpretibus attulit. Alii eam in contumeliam ranae, alii in eius laudem a mure habitam dicunt, alii neque in contumeliam neque in laudem. Sim-

plicissima est interpretatio Frankii: „Mus instantis mortis praesagus non tanta cum molestia, non tantis cum periculis Europae per undas profectionem quam suam coniunctam fuisse clamat.“ Quae diversae ab hac interpretationes proferuntur, nimis quaesitae sunt, imprimis ea quam Baumeisterus proponit. Nihilo minus nonnulla eius verba exscribam, quae horum versuum indolem clarius ante oculos ponant. Baumeisterus, post muris orationem interrogationis signo posito, ita interpretatur: „Nonne sic Europa virgo per mare vecta est in tergo tauri, ut me nunc rana sustinet humeris? Quid ergo (cogitatione addendum hoc) pavore expavesco? Quid lacrimas fundo? Nonne eadem alii tulerunt multo me nobiliores?“ Deinde ita fere pergit vir doctus: „Mus igitur facit ex more eorum poetarum qui amores suos celebrantes fabularum comparatione adhibita argumentum per se non satis grave illustrius reddebant. Nam hac oratione ad modum sublimis carminis expressa tangi aliquem poetam insulsum vel epicum vel lyricum valde mihi probabile est: facit huc locutio exquisita *φόρτον ἔρωτος*, faciunt etiam verba *ἀπὸ στόματος ἀγόρευσεν*, acerbitatis causa delecta: memoriter recitavit et declamavit; quippe decantatae toties fabulae omnibus iam lippis et tonsoribus notae erant.“ Baumeisterus complures locos haud dubie a poeta non profectos ita tueri conatus est, ut iis malos quosdam poetas carpi censeret. Quos locos si ei-

ciendos esse intellexisset, carpendi atque irridendi consilium poetae nostro plane abiudicasset, ideoque cognovisset eos quoque versus de quibus agimus damnandos esse. Sed in praesentia in medio relinquamus et quid poeta omnino intenderit et quid hoc loco dicere voluerit: nullo tamen modo hi versus ferri possunt. Primum enim poeta noster ornamenta illa quae e fabulis petuntur sprevisse videtur, quippe qui nihil eius modi adhibuerit nisi quod bestiolas comparat cum Centauris et Gigantibus. Deinde bestiolarum hoc carmine depictarum indoles quamquam verarum bestiarum naturam excedit, certis tamen finibus circumscribitur: in suo ut ita dicam mundo vivunt bestiolae neque ea quae hominum propria sunt curant, nisi ubi quid rerum humanarum iis aut prodest aut nocet. Huc referendum est quod deos qui ab hominibus creduntur prorsus contemnunt, nimirum quia eos ignorant: non in undarum periculis, non in atrocibus bellis deos invocant, ranae per totam noctem coaxantes Minervam vexant, mures templa spoliant, neutri denique Iovis fulmine a proeliando absterrentur. Unde igitur Iovis amores novit Psicharpax? Iam vero nonnulla in his versibus mihi indicare videntur quomodo interpolatio orta sit. Initio versus 80 verbum ἐπιπλώσας aperte e corruptela exstitit; pro voce ἔμ' in nonnullis codicibus legitur μῦν sive, quod idem esse videtur, νῦν, et hoc quidem in codice t, quem compluribus locis genuinam lectionem servare, vocabulorum formas autem corruptas referre supra

demonstravi; in eodem versu legitur ἦγεν, quod a mure dici nequit dum in tergo ranae vehitur. His e vestigiis concludo rem ita se habere: Lectori cuidam in mentem venit fabula Europae, quae similiter atque mus per mare vecta est, non autem ut ille in undis miserrime periit. Miseratus igitur infelicem musculum hanc sententiam in margine adscripsit: Non ita Iuppiter Europam trans mare vexit, ut murem rana: ὡς μῦν (ὑψώσας?) ἐπινώτιον ἦγεν ἐς οἶκον βάτραχος. Qua sententia postea metro inclusa atque in textum recepta, versu 77 addito oratio muris efficta est. Iam vero μῦν in ἔμ' mutandum erat, qua mutatione cum metrum laederetur, prava lectio ἐπιπλώσας exstitit; vox ἦγεν, quae ob sensum in ἄγει mutanda erat, ob metrum mutari non potuit, integra mansit.[8])

Alter locus est in descriptione armorum

v. 127 θώρηκας δ' εἶχον καλαμοστεφέων ἀπὸ βυρσῶν
v. 128 οὓς γαλέην δείραντες ἐπισταμένως ἐποίησαν.

Hi versus in codicibus omnibus post v. 131 collocati sunt, ab editoribus transpositi sunt, ut certus ordo in armis enumerandis a poeta secundum Homeri usum observatus restitueretur. Quomodo autem in codicibus falsum locum occuparunt? Duplici ratione hoc fieri potuit: aut a librario suo loco omissi deinde adiecti sunt aut additi sunt ad ex-

---

8) Baumeisterus postea cum C. F. Hermanno totum hunc locum v. 74—81 ab interpolatore additum esse censuit, causam cur ita censeret non explicavit.

plendam lacunam. Utrum statuendum sit dubitari nequit, si altera descriptio armorum v. 161—165 comparatur. Poeta enim diligentissime cavisse videtur ne bis de ocreis de thoracibus de scutis de telis de galeis narrans bis iisdem locutionibus uteretur. Unus ex omnibus v. 127 versui respondenti non modo simillimus sed prorsus idem est:

v. 162 θώρηκας δ' εἶχον καλῶν χλοερῶν ἀπὸ σεύτλων

v. 127 θώρηκας δ' εἶχον καλῶν — ων ἀπὸ βυρσῶν.

Hac ipsa enim comparatione intelligitur pro inexplicabili vocabulo καλαμοστεφέων adiectivum καλῶν et aliud quod voci χλοερῶν respondeat restituenda esse. Perspicuum igitur est versum 127 additum esse ut lacuna expleretur. Unde sequitur versum 128 quoque auctori carminis abiudicandum esse.

Non minus suspiciosi sunt tres versus qui praecedunt:

v. 124 κνημῖδας μὲν πρῶτον ἐφήρμοσαν, εἰς δύο μοίρας
ῥήξαντες κυάμους χλωροὺς, κνήμας δ' ἐκάλυπτον,
οὓς αὐτοὶ διὰ νυκτὸς ἐπιστάντες κατέτρωξαν.

Structura versuum 124, 125 summopere displicet, pannum illum κνήμας δ' ἐκάλυπτον quicunque horum versuum auctor est assuit nesciens qua tandem ratione versiculum ad finem perduceret. V. 126 ineptissimam habet sententiam. Prima enim luce (ἅμ' ἠοῖ) mures ad contionem convocati et a Troxarte impulsi sunt ut arma pararent; noctu nihildum de instante bello audiverunt. Si igitur verba διὰ νυκτὸς κατέτρωξαν ad superiorem noctem refe-

runtur, mures haud dubie fabas ita tractarunt ut ad arma inutiles fierent, certe in duas partes fabae scindi non possunt quae iam corrosae sunt. Contra si cum Bothio, qui verbum ἐπιστάντες interpretatur „adstantes, consistentes in armis nec cubitum euntes“, vocem διὰ νυκτός de insequente nocte intelligis, sequitur mures totum diem totamque noctem degisse, non priusquam proelium committerent, sed priusquam ranis bellum indicerent. Quod absurdum est. Nullo igitur modo v. 126 bonum sensum praebet. Accedit quod v. 126 nimis laxe cum superiore versu coniunctus est. Quam rem ut excusaret Baumeisterus duo laxioris iuncturae exempla ex Homero attulit, quae a nostro loco plurimum differre ipse vir doctus non negabit. Exempla haec sunt:

Z 293 τῶν ἕν' ἀειραμένη Ἑκάβη φέρε δῶρον Ἀθήνῃ,
ὃς κάλλιστος ἔην —

Λ 242. — ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου, ἀστοῖσιν ἀρήγων,
κουριδίης, ἧς οὔτι χάριν ἴδεν —.

Iam quaeritur quot versus apud poetam locum versuum 124—128 tenuerint. Quae quaestio ut solvatur, haec animadvertenda sunt. Primum arma certo ordine descripta sunt; deinde cautum est ne eaedem locutiones ad simillimas res exprimendas bis adhibeantur; tum utrumque versuum ordinem, v. 124 seqq. et 161 seqq., antecedunt longior oratio et idem versus ὣς εἰπὼν ἀνέπεισε καθοπλίζεσθαι ἅπαντας; denique posteriore loco de singulis armatus partibus singulis versibus agitur, sicuti priore loco de scutis telis galeis. Quoniam ex his rebus apparet poetam

in hac certe carminis parte summam diligentiam adhibuisse, dubitari non potest quin ocreae et thoraces singulis versibus descriptae fuerint, ita ut uterque locus v. 124 seqq. et v. 161 seqq. eundem versuum numerum continuerit.

Duobus locis quos tractavi tertium addo.

Versus 143 et 144 in fine habent alter γεγάατε seu γεγόνατε, alter μυῶν (πάντων in emendatis codicibus exstat), utrumque invito metro. Verisimile igitur est hunc locum olim detrimentum cepisse. Quod si statuimus, non opus est in priore versu ad lectionis similitudinem inusitatam formam γεγάασθε ponere. Suspicio deinde oritur non tantum versuum exitus mutilatos fuisse, sed duorum versuum 144 et 145 ambitum intercidisse, itaque neque structura εἰπὼν ἀπέφηνε neque locutio λόγος εἰς οὔατα εἰςελθών poetae adscribenda est.

Quoniam ex iis quae hucusque demonstravi manifestum est omnes codices qui nunc noti sunt permultis interpolationibus esse refertos: in recensendo hoc carmine non profecto decet librorum vestigia religiose persequi, sed iudicio maior fides habenda est quam libris.

Neque me fugit de multis rebus alios aliter iudicaturos esse, neque ea sum audacia ut pro certo aliquid contendam quod probari nequit. Nihilo minus quid mihi maxime probabile videatur exponam. Transeo igitur ad eos versus qui, quamquam in omnibus libris exstant, tamen mihi damnandi videntur.

v. 86. δῦ δὲ βάθος λίμνης καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν.

Ilgenius recte adnotavit hunc versum ferri non posse, quia molestissimam contineat tautologiam. Versus enim loquacius eandem rem repetit quae antea verbo κατέδυ expressa et verbis οὔτι νοήσας κτλ. satis ornata est. Emendatio autem Ilgenii δῦ δ' ὃ βάθος orationem duriorem reddit. Eiecto hoc versu narrationis tenor optime restituitur.

v. 88. καὶ χεῖρας ἔσφιγγε καὶ ὀλλύμενος κατέτρυζε.

His verbis moriens mus depingitur; noster autem nondum in eo est ut moriatur, sed v. 90 λακτίζει — haud dubie etiam manibus — et πολλάκις ἀναδύνει, v. 92 demum ὀλλύμενος dicitur. Adde quod vox κατατρύζειν nusquam eo sensu occurrit qui hic desideratur, prior versiculi pars καὶ χεῖρας ἔσφιγγε ad exemplum versus 71 καὶ πόδας ἔσφιγγεν composita est haud dubie ab inscio quodam homine qui putavit eodem iure quo πόδας inter καὶ et ἔσφιγγεν vocem χεῖρας inseri posse. Quam ob rem de productione syllabae ας disputare non opus est.

v. 91. δευόμεναι δὲ τρίχες πλεῖστον βάρος ἦσαν ἐπ' αὐτῷ·

Hic versus sententiam continet ineptam et male expressam, prorsus autem intolerabilis est, quia narrationis continuitatem interrumpit: postquam enim iam dictum est mortem fuisse inevitabilem, quis adhuc curat villos aqua graves? Immo necesse est ut post verba μόρον δ' οὐκ ἦν ὑπαλύξαι statim narretur quid mus moriens locutus sit. Similis est hic

versus versui 86: uterque cum δέ particula neglegenter insertus est, uterque narrationem non illustrat sed turbat.

v. 117. ἣν παγίδα καλέουσι μυῶν ὀλέτειραν ἐοῦσαν.

Productio litterae α in fine vocabuli παγίδα a Baumeistero frustra defenditur. Ubicunque enim apud Homerum vocalis α per se brevis vi caesurae producitur, certis rationibus hoc excusatur:

1) Caesura mascula tertii pedis sequitur, ut ζ 269 σπεῖρα ‖ καί; κ 141 λιμένα, ‖ καί; ω 494 Ὀδυσσῆα ‖ ἔπεα; Ε 827 Ἄρηα ‖ τόγε; ι 366 ὄνομα ‖ Οὖτιν.

2) Vox longior in complures breves syllabas exit, ut ι 147 κυλινδόμενα προτί; κ 353 πορφύρεα καθύπερθ'; μ 396 Ὀπταλέα τε; ψ 240 ἀριφραδέα δέ; Ζ 192, Λ 226 θυγατέρα ἥν.

3) Consona liquida sequitur, ut Α 394 Δία λίσαι; Π 488 Αἴθωνα μεγάθυμον; Τ 5 κλείοντα λιγέως; κ 116 ἕνα μάρψας; saepe in nominibus propriis quadrisyllabis in quinto pede ante vocem μεγάθυμον, ut Ε 547 Διοκλῆα, Μ 379 Ἐπικλῆα, Π 818 Πατροκλῆα, Θ 243 Οἰκλῆα.

Eandem vim habet vox δέος, ut Ν 224 Οὔτε τινὰ δέος.

4) Interpunctio sequitur.

Saepe plures causae cur productio vocalis α excusetur coniunctae sunt, ut

1 et 2. κ 42 νισσόμεθα ‖ κενεάς·

1 et 3. Ρ 299 πόδα ‖ μεγαλήτορος; Ψ 40 τρι-

πόδα || μέγαν; in nominibus propriis ρ 626 Αἴαντα || μεγαλήτορα; ε 81, ψ 153 Ὀδυσσῆα || μεγαλήτορα.

1 et 4. Ξ 320 Περσῆα, || πάντων; φ 26 Ἡρακλῆα, || μεγάλων.

2 et 4. ξ 343 ῥωγαλέα, τά; σ 77 δειδιότα· σάρκες.

Nullum locum invenies quo illa productio in voce παγίδα defendi possit. Deinde vox ὀλέτειρα praeter hunc locum nusquam quod sciam occurrit. Tum participium ἐοῦσαν languidissimum est, ut etiam Baumeistero videtur. At nonne totus versus est anguidissimus? Quid enim continet quod non iam verbis ξύλινον δόλον multo pulchrius expressum sit? Additus videtur hic versus ab homine quodam qui verba ξύλινον δόλον obscuriora esse putavit.[8])

v. 149. verba νήξεις τὰς βατράχων μιμούμενος minime mihi placent. Physignatho culpam a se remoturo id potissimum spectandum erat ut probabilem causam mortis Psicharpagis fingeret, itaque pulcherrime mentitus est versu antecedenti: ἐπνίγη παίζων παρὰ λίμνην, h. e. in litore ludens casu in paludem decidit et aquis haustus est. Altera fictio νήξεις βατράχων μιμούμενος neque satis credibilis est neque cum hac bene consociari potest. Pluralis νήξεις nusquam quod sciam occurrit.

Fortasse totus versus 149 eiciendus, insequentis initium leviter mutandum est: νῦν δ᾽ ἐμέ.

Infra in eadem oratione Baumeisterus et

8) Damnandum esse hunc versum iam Curtius Wachsmuth censuit. Mus. Rhen. 1865, pag. 185.

propter molestam loquacitatem et propter meliorum codicum lectionem intolerabilem ὅπως σχεδὸν ἦλϑον ἐφ' ἡμᾶς coniecit versus 156 et 157 in unum contrahendos esse:

δραξάμενοι κορύϑων ἐς λίμνην εὐϑὺ βάλωμεν,

quae coniectura mihi probatur.

Maiore ex parte interpolationibus corrupta est oratio morientis Psicharpagis v. 93 seqq., et ita quidem ut unus versus 95 integer esse videatur. V. 93. adverbium δολίως nimis remotum est a verbo suo ποιήσας. v. 94 sententia ῥίψας ἀπὸ σώματος ὡς ναυηγὸν ἀπὸ πέτρης verbo ναυηγόν extra comparationem posito turbata est. Contra si putas ipsum murem metaphorice dici naufragum — id quod optime fieri posset, si abesset comparatio ὡς ἀπὸ πέτρης —, nihil comparatur nisi corpus et saxum, quod ineptum est. Varia ludorum genera quae v. 96 memorantur nimis longe absunt etiam ab harum bestiolarum natura. V. 97 repetitio verbi ῥίπτειν molesta est. Productio prioris syllabae vocabuli ὕδωρ in thesi suspiciosa est, nam apud Homerum nusquam, raro apud posterioris aetatis poetas occurrit (hymn. Cer. 381, Apoll. Arg. 290, Xenoph. fg. 4. Del., Maneth. VI, 424), in hoc carmine trisyllabae vocabuli formae decies dactylum efficiunt, ὕδωρ priorem syllabam semel in arsi producit, semel in thesi corripit; hoc uno loco contra usum Homericum prior in thesi producitur. Locutio ἔχει ϑεὸς ἔκδικον ὄμμα et ea quae in libris sequuntur ποινήν τ' ἀντέκτισίν τ' ὀρϑὴν ὅςκ' ἀποδώσει scriptorem christi-

anum sapiunt. Post v. 97 in omnibus libris praeter unum duo versus exstant (si licet eos versus appellare) pronomine relativo cum voce θεός coniuncti, quos in unum contrahendos esse non nego, Goessii lectionem Baumeistero probatam reiciendam duco, quia ita sententiarum nexus divellitur.

In oratione Minervae versus 184—186 summas difficultates interpretibus attulerunt, quarum unam Baumeisterus recte fortasse removit scribendo

— ὁ δ' ἠπητής μοι ἐπέστη
τρώγλας τ' ἐξετέλεσσεν — .

Nihilo minus e reliquis sanus sensus elici non potest. Ut autem tres versus eiciendos putem maxime moveor comparatione aliorum locorum. Descriptio armorum, ut supra demonstrare tentavi, utraque e quinque versibus constat; Troxartes trium filiorum interitum binis versibus narrat; tota illa oratio cum Physignathi oratione v. 147 seqq., interpolationibus quas notavi remotis, etiam versuum numero accurate congruit. Unde manifestum est poetam subtiliorem quandam artem adhibuisse praecipue in orationum compositione. Iam si ex oratione Minervae tres illos versus eieceris, sex versibus dea mures incusat, sex versibus de ranis queritur.

Concinnitas autem orationis misere turbatur versibus 194, 195 eoque qui inter utrumque in compluribus libris exstat:

μή κέ τις ἡμείων τρωθῇ βέλει ὀξυόεντι
μή τις καὶ λόγχῃ τυπῇ δέμας ἠὲ μαχαίρῃ
εἰσὶ γὰρ ἀγχέμαχοι, καὶ εἰ θεὸς ἀντίον ἔλθοι.

3*

Quibus in versibus complura displicent. In primo soloecismus est *κε* post *μή*, in tertio productio syllabae *καί* ante vocalem; vox *ἀγχέμαχοι* ad vocem *μαχαίρῃ* spectat, quam ob rem aut secundus et tertius damnandi, aut cum tertio secundus servandus est; gladios autem bestiolae non habent. Iam vero importuno loco tota sententia collocata est. Dea enim causas cur neque ranas neque mures adiutos velit antea exposuit, verbis *ἀλλ' ἄγε* v. 193 orationis conclusionem incipit, cui si alia causa inseritur, orationis structura deletur. Conferas simillimas orationum conclusiones:

v. 120 *ἀλλ' ἄγεθ' ὁπλισόμεσθα καὶ ἐξέλθωμεν ἐπ' αὐτούς*

—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏓

v. 280 *ἀλλ' ἄγε πάντες ἴωμεν ἀρήγονες ἢ τὸ σὸν ὅπλον κινείσθω, οὕτω γὰρ ἁλώσεται ὅστις ἄριστος.*

Haud dubie igitur haec oratio ita concludenda est:

ἀλλ' ἄγε παυσώμεσθα, θεοί, τούτοισιν ἀρήγειν,
πάντες δ' οὐρανόθεν τερπώμεθα δῆριν ὁρῶντες.

Restant tres versus 105—107, non illi quidem auctore carminis indigni, at loco quem tenent tam non apti ut mihi quidem eiciendi videantur. Ea enim brevitate narratio a. v. 99 ad v. 109 excellit, ut praeter unum epitheton *μαλακῇσιν* nullum vocabulum deprehendas quod non sit necessarium. Qua ex re apparet poetam operam dedisse ut velocem rerum cursum verbis aequaret. Quidnam eum movit ut mediam narrationem interrumperet tribus ver-

sibus qui nihil conferunt ad ea quae iam narrantur? Troxartem patrem esse Psicharpagis lectori notum est, ad Psicharpagis miseram mortem hoc loco redeundum non erat. Apparet autem hos versus nullo consilio sed quasi casu factos esse: primo eorum auctor monendum esse censuit quis sit Troxartes, ita cum Psicharpagis mentio fieret, occasio oblata est de eius interitu aliquid addendi, qua in re interpolatores praecipuum studium collocasse ex antecedente carminis parte apparet.

Iam ad maiorem quaestionem pervenimus. Prior carminis pars usque ad v. 196 multis quidem locis ab interpolatoribus corrupta est, iis autem versibus quos supra notavi eiectis minora tantum hic illic seu in verbis seu in sententiis reprehendas. Dispositio ea est ut posterior quaeque res ex iis quae antecedunt quasi nascatur; nihil immixtum est quod a summa fabulae alienum sit; sermones et aliae nonnullae partes diligentissime compositae sunt. Multum differt altera carminis pars. Interpolationes quidem et hic nonnullae dignosci possunt itaque supra quasdam notavi, non autem singulis versibus eiectis a reliquis suspicio abest. In descriptione pugnae nulla illius diligentiae vestigia deprehenduntur qua prior pars composita est; singula nexu fere semper carent, saepe inter se repugnant. Cum in priore parte tantum de muribus et ranis agatur, iam culices et cancri immiscentur. — Iupiter Meridarpagis fortitudine vehementissime commotus

de auxilio ranis ferendo cum reliquis diis deliberat, denique Iunonis consilium secutus ad ultimum auxilium descendit: fulmen iacalutur; ne sic quidem mures a pugna desistunt. Hucusque nihil vituperandum est. Iam vero nonne deus de omnium murium summa impudentia et audacia irascitur? Nonne bis exclamat: Ὢ πόποι? Nonne iam multo magis deliberatione opus est? Nihil eiusmodi dicitur, sed Iupiter iterum misericordia movetur et tacitus cancros mittit.

Quibus rebus consideratis ego persuadere mihi non possum alteram partem totam ab eodem poeta profectam esse qui priorem scripsit. Pro certo autem ultimos duodecim versus damnandos esse censeo. Neminem fugiet *αἰνιγματώδη* illam descriptionem cancrorum, per se quidem satis lepidam, a simplici dictione huius carminis admodum abhorrere. Certa autem indicia adsunt e quibus apparet illam partem a genuina carminis forma alienam esse.

Primum cum omnia epitheta ad singularem cancrorum speciem describendam aptissima sint, ultimum additum tantum videtur ad versum complendum: *ἀχείρεες* per se quidem de cancris dici potest, quia re vera manus non habent, hoc autem loco post *χειροτένοντες* ineptum est. Deinde verba *οἱ δὲ καλεῦνται* languida et supervacanea sunt, quoniam post nomina adiectiva statim substantivum *καρκίνοι* ponendum erat.

Duorum autem versuum qui descriptionem cancrorum antecedunt prior

εἰ μὴ ἀπ' Οὐλύμπου βατράχους ᾤκτειρε Κρονίων

e duobus versibus 269, 270

εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,

καὶ τότ' ἀπολλυμένους βατράχους ᾤκτειρε Κρονίων

exscriptus est. Non enim e posteriore loco priorem exsumptum esse, apparet, quod v. 269 post *καί νύ κεν ἐξετέλεσσεν* optime incipitur verbis *εἰ μὴ*, ad versum 292 cum iis quae antecedunt coniungendum verba *εἰ μὴ* non apta sunt.

His e rebus concludo versificatorem aliquem descriptionem cancrorum usque ad vocem *δικέραιοι* ex alio quodam carmine arreptam, additis tum versibus 292, 293, tum ultimis inde a voce *ἀχείρεες*, Batrachomyomachiae in fine mutilatae assuisse.

In superiore carminis parte unus locus est cuius similem esse rationem haud temere suspiceris: versus 270 formula *καὶ τότε* laxius assertus est magis autem molesta est vox *Κρονίων*, cum in antecedente versu legatur *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*. Possis igitur suspicari carmen olim ab hoc versu alium exitum habuisse. Sed comparato versu 292, qui aperte ex hoc loco sumptus est, probabile videtur v. 270 olim pro *καὶ τότ'* scriptum fuisse *εἰ μή*, versum Homericum 269 deinde ab interpolatore adscriptum esse postea alterius versus initium ita mutatum esse ut uterque in textum recipi posset. Quae sententia eo magis firmatur quod integri versus Homerici in hoc carmine fere nulli occurrunt.

Nunc demum de verbis *ἀπολλυμένους* et *ἀπ' Οὐλύμπου* exponere possum. Facillime *ἀπ' Οὐλύμπου*

per errorem potuit transire in ἀπολλυμένους, non autem contra: verba enim ὀλλύμενος et ἀπολλύμενος quinquies in hoc carmine leguntur, Olympus semel memoratur in locutione Homerica μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον; deinde verba ἀπ' Οὐλύμπου posteriore loco, ubi iam per triginta versus tota narratio in Olympo versatur, languida sunt, priore loco, eiecto versu 269, aptissima, ut lector statim moneatur iam alio e loco quam quo hucusque res versata est quasi περιπέτειαν exsistere. Legendum igitur videtur v. 270 εἰ μὴ ἀπ' Οὐλύμπου —.

Quoniam igitur indicia non adsunt quibus efficiatur maiorem partem carminis intercidisse, ego quidem eam partem quae est a v. 196 ad v. 291 tantum summa interpolandi et immutandi libidine corruptam esse arbitror, adeo autem corruptam ut quid genuinum sit, quid spurium dignosci nequeat. Quod autem haec pars multo magis quam prior immutata est, non est quod mireris. Posterior enim pars, qua pugnae et deorum deliberationes narrantur, multo plures tamquam ansas dedit ad immutandum. Imprimis nihil facilius est quam e nominibus propriis et usitatis quibusdam locutionibus quales in illa descriptione pugnae coacervatae sunt versus componere.

Restat ut de prooemio carminis pauca dicam.

Quid auctore carminis dignum sit, quid indignum, ex indole eorum versuum diiudicandum mihi videtur qui suspicioni locum non dant, h. e. e versibus 9–196, exceptis iis quos damnandos esse supra

demonstravi. Ab illis prooemium multum differre neminem fugiet. Illic enim singula enuntiata plerumque intra singulorum vel binorum versuum spatium absoluta sunt, tribus locis parva enuntiati pars hoc spatium excedit: v. 23 ἔμμεναι, v. 68 ἀλλ᾽ὅτε δή ῥα, v. 132 ὡς δ᾽ἐνόησαν; tres versus enuntiatum complectitur v. 178 seqq.; quatuor v. 135 sqq., ubi unus versus nomine praeconis expletur; usque in quartum versum extentum est enuntiatum v. 188 sqq., ubi Minerva irata molestias a ranis sibi paratas depingit, usque in quintum v. 168, ubi duo versus lepida bestiolarum descriptione explentur. Longiora autem haec enuntiata omnia ita constructa sunt ut eorum initium cum fine arte cohaereat. Contra prooemium ex uno enuntiato constat per octo versus extento, eiusque compositio haec est ut ad primum et secundum versum tertius, ad hunc quartus, ad tertii verbum quintus et sextus, ad sextum septimus, ad septimum octavus laxissime assutus videatur. Praeterea si singula persequeris, multa reprehendes. Languidum illud ὡς ἔπος ἐν θνητοῖσιν ἔην iam a viris doctis notatum est; v. 3 mirum est quod poeta ait se carmen quod iam facturus est in genibus posuisse, v. 4 quod ipsum carmen vocat δῆριν. Versum quartum autem, quia per se pulcherrimus est, sed non bene cum reliquis cohaeret, suspicor ex alio quodam carmine exscriptum esse: affertur enim sine nomine scriptoris in Etym. M. s. v. δῆρις. V. 5 reprehendenda haec sunt: εὐχόμενος post ἐπεύχομαι v. 2, locutio εἰς οὔατα πᾶσι βαλέσθαι

(similis suspiciosae lectioni v. 144 *εἰς οὔατα* [*πάντων*] *εἰςελθών*), genus medium *βαλέσθαι*; v. 6 insolita locutio *ἔν τινι βαίνειν*; primis versibus mirum est quod poeta precatur ut totus Musarum chorus ex Helicone in animum suum migret quodque non simpliciter, ut fieri solet, Musas alloquitur, sed languidissime narrat se deas invocare. Denique in prooemio eius carminis, quod totum ad exemplar carminum Homericorum effictum est, ne ulla quidem locutio Homerica occurrit praeter *ἔργον Ἄρηος* in dubio versu 4.

Utcunque de his rebus iudicas, a veritatis specie certe non abhorrere videtur, in scholis Byzantinis complura prooemia adhibitis aliorum poetarum versibus ad hoc carmen composita esse eorumque unum in codices nostros migrasse.

Epimetrum.

Cum haec iam typis descripta essent, collatis locis quibusdam Homericis intellexi versus 285 seqq. ita restituendos esse ut eiecto versu 287, qui praeter cod. t. in utroque Wachsmuthii codice abest, v. 288 pro ἧκ' ἐπιδινήσας (Hom. H 269, ι 538; cf. T 378 ῥῖψ' ἐπιδινήσας) legatur ἧκε δὲ δινήσας (Ψ 839). Verba autem πρῶτα μέν servata velim, tum quia his ipsis verbis interpolator motus esse videtur ut v. 287 adderet, tum quia fieri certe potest ut alteram sententiam a πρῶτα μὲν incipientem altera cum nudo δέ sequatur. Quae res eo minus offensionis habet, si narrationem ita procedere statuis ut summa re v. 285 breviter narrata iam primum quid in Olympo deinde quid in terra effectum sit describatur.

VITA.

Natus sum Augustus Althaus die XX. mensis Maii anni h. s. XXXIX. in vico Heiligenkirchen prope Detmoldam sito patre Augusto, matre Maria e gente Zeiss. Fidei addictus sum evangelicae. XI annos natus adii gymnasium Detmoldense, ubi VIII annos commoratus testimonium maturitatis adeptus sum. Tum Gottingam me contuli, ubi civibus academicis adscriptus tria semestria commoratus sum. Unum annum degi Erlangae et Monachii, tria semestria Berolini. Gottingae et Erlangae exercitationibus seminarii philologici interfui. Scholas audivi vv. ill. Sauppe, Curtius, de Leutsch, Wieseler, Waitz, Lotze, Doederlein, Keil, Halm, Spengel, Boeckh, Haupt, Friederichs, Steinthal, Droysen, Trendelenburg.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

Magis Hor. Sat. II, 2, 29, valet lancem.

II.

Sed particula Hor. Epist. I, 15, 13 nondum recte explicata est.

III.

Cornelius Nepos non aptus est qui a discipulis quarti ordinis legatur.

IV.

Batrachomyomachiae auctor non sibi proposuit ut aliorum poetarum opera irrideret.

V.

Immerito Claudiorum gens a Livio superbissima ac crudelissima in plebem Romanam appellatur.

VI.

Digamma Aeolicum in textum carminum Homericorum recipiendum non est.